33

DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA,

SISTENS

ÆGROTUM SYNCOPALEM,

QVAM

SUMMO ARCHIATRO SECUNDANTE,
IN ALMA ET PERANTIQVA HIERANA,
MAGNIFICO UNIVERSITATIS RECTORE,
REVERENDISSIMO ET PERILLUSTRI DOMINO,
DOMINO

JO. JOACHIMO HAHN,

EPISCOPO METELLOPOLITANO,

Eminentisſimi Archi-Epiſcopi & Principis Electoris Moguntini per Thuringiam, Hasſiam & Eichsfeldiam in Pontificalibus Vicario Generali, Ejusdemque Archi-Epiſcopalis Curiæ Pro-Vicario Generali, SS. Theologiæ & Juris Utriusque Doctore, Protonotario Apoſtolico, Comite Palatino, Inſignium Eccleſiarum Collegiatarum ad Gradus B. M. V. & ad S. Joannem Moguntiæ reſpective Scholaſtico, Canonico Capitulari, & reliq.

AUTORITATE ET CONSENSU GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ,

SUB PRÆSIDIO

DN. HIERONYMI Ludolff/

PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ DOCTORIS,
FACULTATIS MEDICÆ ET PHILOSOPHICÆ ASSESSORIS ORDINARII, AC CHYMIÆ ET MATHEMATUM PROFESSORIS PUBLICI,
PATRONI, PROMOTORIS ET FAUTORIS SUI HONORATISSIMI,

PRO LICENTIA
HONORES IN MEDICINA SUPREMOS MORE RITUQVE SOLENNI CAPESSENDI,
PUBLICÆ ERUDITORUM DISQVISITIONI SUBJICIT

FRIDER. GVILIELMUS Scheidemandel/

Unter-Masſfeldenſis,

AD DIEM V. MAJI A. M DCC XXII.
IN AUDITORIO MAJORI COLLEGII MAJ. HOR. CONSVET.

ERFORDIÆ, Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.

DEO,
PATRIÆ
ET
PROXVMO.



HISTORIA CASUS.



VIr quidam temperamenti ſangvineo-cholerici anno ætatis vigeſimo caſum ab alto perpeſſus animi deliquio graviori afficitur, & licet eo tempore ſanitatem rurſus debitis adhibitis remediis recuperaſſe videretur, ſubſequenti tamen tempore pluribus vicibus minus ſperata corporis debilitate & languore non nimio ſubinde obruitur, qui affectus in tantum augetur, ut anno ætatis trigeſimo, vel à laboribus nimiis, vel motibus exceſſivis,

vel etiam purgatione quadam, sive κάτω, sive ἄνω institutis facile excitaretur animi deliquium. Unde de novo eodem malo correptus tum Medicus est patiens, ab adstantibus, & cognatis advocatur, qui deprehendit patientem absque sensu & motu, pulsuque deficiente, unde statim medicamenta debita exhibet ad excitandum & paroxysmum arcendum, à quo etiam Patiens rursus liberatus pulsum parvum, rarum, debilem, miurum, vel vermiculantem obtinuit, medelam & consilium expetens Medicum.

EVOLUTIO.

PRæsentem hunc casum ad animi deliquia spectare, vel Tyroni Medicinæ haud potest esse incognitum, unde, cum nunc gravius nunc levius hic affectus patientem afflixerit, generali nomine ægroti nimirum syncopalis insignere liceat. Liceat etiam cum benevoli lectoris applausu & gratia paulo latius in animi deliquiorum naturam, definitionem, causas & curationem excurrere, & præsentem laborem Medicum ita dirigere, ut similibus aliis quoque casibus applicari possit. DEum vero

Be-

Benigniſſ. ſupplex imploro, ut, ſicuti hactenus ſtudiis meis ex alto benedixit, ita paterne concedat, & ex alto largiatur vires pro hoc labore & opere feliciter ſuſcipiendo & optime ſuſtinendo atque abſolvendo, & quidem in ſui Divini Numinis gloriam, artis Medicæ incrementum, mei, meorumque ſolatium & incrementum, multorumque ægrotantium ſalutem & adjumentum.

§. I.

VOco affectum hunc noſtrum ſyncopalem, quoniam tempore viſitationis Medicæ vera ſyncope adfuit, adeoque ſyncopes conſideratio hac pro temporis ratione maxime in cenſum noſtrum veniet, nec minus tamen reliquas deliquiorum ſpecies adducere mihi integrum erit.

§. II.

Uſu ita receptum eſſe & rem ipſam ſimul poſtulare, ut termini cognoſcantur, eorundemque Onomatologia primo quaſi loco apponatur, optime novi, adeoque ſyncopes derivationem, æquivocationem & ſynonyma tradere haud dubito. Syncope vero ratione originis agnoſcit Græciam & derivatur à σὺν cum, & κοπὴ, ſtrages, quia in ſyncope conjuncta ſemper eſt ſtrages virium vitalium. Et dicitur adeoque ἀπὸ τȣ̃ συνκόπτειν, concidere, à κόπτω, cædo, ſcindo, pulſo, plango. Germanis optime redditur: Eine geſammte Niederlage oder Niederſchlagung, vel ſi mavis, eine ſtarcke Ohnmacht, id

id quod viribus corporis humani graviter absumtis & debilitatis vel maxime convenit. Si æquivocationem spectes, syncope varie sumitur, primo late de quacunque concisione aut præcisione cultro facta, & secundo de figura carmini inserviente, quæ è medio vel literam vel syllabam tollit, quæ vero acceptiones ad Forum Medicum minus spectant, sed potius tertio jam stricte & in sensu medico sumitur pro peculiari affectu, sive pro symptomate facultatis vitalis, actionis diminutæ vel potius ad sensum abolitæ. Synonymice syncope alias quoque dicitur animi deliquium gravius, defectio item animi, & Medicorum Ciceroni simpliciter deliquium animi, præceps virium lapsus. Unde sequens fluit nominalis definitio: Syncope est prostratio virium & strages.

§. III.

Definitio vero realis essentiam rei magis exprimens sequentis poterit esse tenoris, quod syncope sit animi deliquium magnum & singulare, cum sensuum internorum æque ac externorum abolitione, motu corporis nullo, nec ulla fere respiratione sensuali, cum sudore item frigido & glutinoso, partiumque totius corporis pallore & frigore, pulsuq; interdum prorsus non viso, interdum vero parvo, raro, debili, miuro, & vermiculante deprehenso, & malum equidem hoc gravius lipothymiâ, levius vero asphyxia esse deprehenditur, à majori præsertim spirituum vitalium defectu vel stagnatione ortum ducens.

§. IV.

Genus hoc loco assignatum est animi deliquium, sub

ſub hoc quippe, tanquam ſub conceptu generico proxime ſyncope comprehenditur, quæ juxta Ettmullerum operum Tom. II. pag. 445. recte vocatur ſpecies animi deliquii. Alia vero genera ab authoribus tradita ſunt remotiora, quam ut bonam definitionem ingredi debeant. Huc pertinet proſtratio & lapſus, quare animi deliquium in genere recte definitur, quod ſit præceps, ac ſubitaneus virium vitalium lapſus vel proſtratio, quippe quæ definitio ad omnes animi deliquii ſpecies quadrat.

§. V.

Reliqua definitionis poſitæ momenta probe ſub incudem vocata&applicata præbent quam optime differentiam ſpecificam, juxta quam a reliquis tribus ſpeciebus animi deliquii differt ſyncope. Sic differt ab Ecclyſi, ſeu leviori virium exſolutione, ſi vires quodammodo vacillant, & deliquium animi potius imminet, in debilioribus e. g. ſubjectis, wann einer in eine Ohnmacht verfallen will oder zu derſelben incliniret. Differt a lipothymia: In hac enim major virium dejectio & ſimul motus & ſenſus aliquo modo perit, ſed tamen facile eſt revocabilis. Differt quoque ab aſphyxia, ubi pulſus prorſus eſt abolitus, & aliquamdiu ad ſenſum ceſſans ægri tales mortuorum adinſtar jacent, & minus revocabiles ſunt, quare quoque peſtis tempore non raro ſepeliuntur vivi adhuc pro defunctis.

§. VI.

Ex quibus facile patet, quomodo quoque animi deliquia differant ab aliis affectibus præternaturalibus

ſiqui-

siquidem facilis est differentia ab apoplexia, in qua pulsus & respiratio adhuc magis libera, & defectus sive stagnatio spirituum animalium in nervis est, in nostro vero affectu non item. Porro a Paralysi, in qua solum vel motus vel sensus est abolitus, vel in toto vel in parte, itidem a spirituum animalium vitio: vel ab epilepsia, ubi adest motus corporis clonicus, & itidem a spirituum animalium explosione inordinata dependet: A catalepsi, ubi membra in eodem statu persistunt & situ, qua corripiuntur: & tandem ab Ecstasi, ubi sensus quidem internus, nimirum phantasia per insomnia operatur & patientes ab eadem liberati mirabilia recensent. Syncopizantes vero mortuis similiores, quam vivis, esse deprehenduntur, ita ut sæpe Urinæ & alvi excrementa sponte dimittant.

§. VII.

Subjectum affectus nostri merito nunc & ordine ita exigente est expendendum, ubi occurrit 1. Subjectum principale, sive propria, genuina, & velut regia affectus sedes, id quod est cor, & abhinc vasa majora arteriosa & venosa, cordi magis propiora, utpote in quibus principaliter magis syncope oritur. 2. Datur subjectum adæquatum, & dicitur, quousque se extendit idem, & heic loci est totum corpus & omnes ejus partes prostratæ, utpote in quibus affectus noster quoque se exerit. 3. Considerandum quoque est subjectum foci sive causæ morbificæ, quæ est quærenda ratione spirituum in sangvine, tanquam fonte alias & thesauro vitæ, sed in statu præternaturali quoque multorum malorum procuratore, quibus alii quoque humo-

humores facilimo negotio partem suam attribuunt.

§. VIII.

Syncope variis modis dividi potest: Sic est vel simplex, vel composita, simplex, quæ solitaria & sibi relicta est, & ab aliis morbis atque symptomatibus magis libera, & a causa quasi sibi propria dependet: e. gr. si á terrore & imaginatione rei gravioris, vel a debilitate spirituum, vel alia quadam causa immediata syncope, vel animi deliquium oritur, nec ulli alii affectus concurrunt; Composita vero est, priori simplici opposita, quando plures morbi concurrunt, ut si simul adsit febris acuta, maligna & continua, aut quoque intermittens, si morbi chronici, phthisis, hydrops, ascitis, vel anasarca, aut epilepsia, vel ipsa quoque apoplexia simul concurrant. Commode vero hanc compositam syncopem rursus dividere possumus in connexam, antecedentem & consequentem, illa est, quæ de præsenti cum aliis affectibus est complicata, utpote si febris maligna cum syncope simul adest. Ista dicitur, quando prius adfuit, quam reliqui morbi, vel symptomata accessere, & si quasi origo reliquorum existit; Hæc vero est, quando syncope alios affectus subsequitur, febres cumprimis ardentes, malignas, petechiales, enormes quoscunque dolores, in lue venerea cumprimis, calculo, arthritide, podagra nodosa, aliosque morbos gravissimos & symptomata vehementissima.

§. IX.

Haud sine usu medico erit, si quoque reliquas

diſtinctiones his inſeramus: Syncope enim eſt vel univerſalis vel particularis: univerſalis dicitur, quatenus vaſis ſeu potius Maſſæ ſangvineæ penitus inſidet, & quidem iis vaſis, quæ ſangvinem & ſpiritus diſpenſant: Particularis vero ratione originis ceſſantis motus, nimirum cordis: cor enim uti primum eſt movens, ita quoque ſpecialiter ceſſantis motus ſanguinis eſt fons, adeoque ſyncopes origo. Nec minus alia diſtinctio heic obtinet futuro practico ſcitu maxime neceſſaria, ut eo facilius noſcat & æſtimet majus vel minus periculum, & ita remedia debite adhibeat, abhinc ſyncope poteſt dici per eſſentiam ſive ideopathica, ſi proprio & domeſtico malo a cauſis ſupra recenſitis & non aliunde exoritur, vel per conſenſum, ſive ſympathica, quando hic affectus aliunde oritur, & minera fovens in alia parte reſidet. E. g. in ventriculo, utero, hypochondriis, meſenterio, hepate, ſplene, renibus, aliisque remotis locis. Non incongruum erit, huc referre ſyncopen connatam & acquiſitam: Connata dicitur, cujus origo ad primum ortum refertur, atque iterum eſt duplex, vel actu talis, vel potentia: Actualis eſt, quando vitium tale ex ipſo utero ortum agnoſcit, e. g. ſi fœtus adhuc in utero contentus ſanguinem ad coagulationem facile pronum & polypum quaſi quendam circa cor vel arterias majores concipiat, aut jure hæreditario, ſi mater ſyncope vel lipothymia quoque ſæpe afficiatur, aut ſi ejusmodi infantes nimis mature frigori per totum corpus exponuntur: Vel etiam poſt ortum à lacte coagulabili, & cogulato diſponitur infans ad lipothymias & ſyncopen, potentia

tentia vero talis est, quando ejusmodi hæreditaria dispositio post plures annos se exerit. Acquisita tandem & ascititia dicitur, si per ætates demum, & errore ipsius subjecti origo hujus mali eveniat, adeoque non à causa primitiva, sed potius supergenita & assumta, à victu inordinato, ab aeris injuria, ab animi pathematibus, aliisque rebus nonnaturalibus, vel in excessu, vel in defectu peccantibus dependens.

§. X.

Proxume jam ordinis ratione devolvor ad Ætiologiam, in qua primum sibi vendicat locum, causa immediata, quæ ad affectum proxume concurrit, & inter quam & effectum nulla alia datur causa: Eandem vero modo constituunt spiritus vitales, deficientes, stagnantes, vel impediti. Licet enim circulum massæ sanguineæ inhibitum, aut calidi innati defectum sive flammulæ vitalis in corde suffocationem huc referre velimus, horum tamen omnium consectarium inseparabile, & causa principalis est vitium spirituum vitalium. Assumitur vero hic spirituum defectus eatenus, quatenus totius corporis partes, spiritu vegetante sive sanguinis æthereo subtilissimo & spirituoso vinculo destituuntur; Ex hoc distributio massæ sanguineæ à corde fieri debita læditur, & circulus sanguinis impeditur, sanguis ipse stagnat, atque subsistit, debita nimirum spirituascentia carens, quæ alias magis motus sanguinis fermentativi & progressivi progressum ac promotionem promovet. Sane si stagnationem spirituum, quocunque modo ista fiat, consideramus, est causa, quo minus liber possit esse circulus sanguinis, & tandem,

si in certo quodam vase impedimentnm fluxus sanguinei oboritur, sanguis ex debito ventilari, sive potius stagnatio hujus intentata solvi nequit.

§. XI.

Causam immediatam merito excipit mediata, ab aliis dicta antecedens, eandemque diversimodæ & multæ res comitantur: sic aliquæ spirituum defectum efficiunt vitalium, spirituum generationem vel remorantes, vel generatos absumentes: Illud faciunt facultatis vitalis imbecillitas, & defectus sanguinis arteriosi & venosi quoque, utpote in quo fundamentaliter & originaliter ratio affectus quærenda est, quatenus iste sanguis minus aptus est, ut debita fermentatione subtilisari, & in debitos spiritus exaltari queat, id quod fit dupliciter, vel prout sanguis deficit in acrimonia sua salnia, fermentativa, hoc est, dum in massa sanguinea deficit acrimonia salium, in specie vero inertia salis volatilis oleosi, sive bilis, ibidem incusanda est, quo minus sanguis aptus sit ad spirituascentiam recipiendam, vel prout sangnis magis exhaustus deficit ob affectus chronicos, a quibus sanguis depauperatur & deturpatur, nec minus vasorum cumprimis majorum obstructio huc teferenda, tunc enim connubium spirituum & sanguinis cessat, propter sanguinis circulationem prohibitam, hoc faciunt partim suffocatione, partim resolutione nimiæ sanguinis profusiones, sive eveniant per V. S. sive per vulnera, hæmorrhagias per nares, uterum, & hæmorrhoides & ita porro: Oppitulantur nimiæ aliorum humorum evacuationes in dysenteriis, diarrhœis, cholera, hypercatharsi,

ἄνω καὶ κάτω factis, nec minus in nimia aquarum hydropicarum & puris, confertim, sive ἀθρόως καὶ βιαίως facta amissione, in sudoribus quoque nimiis, & colliquativis; Quæ evacuationes sane omnes debita succenticula detrahunt, & spiritus vitales absumunt. Ne silentii peplo involvamus morbos tum chronicos, tum acutos, isti enim defectum spirituum inducunt, nunc impediendo sanguificationem & chylum turbando, sicuti videre est in hydropis speciebus, affectibus arthriticis, & doloribus phlegmaticis, nunc vero rarefaciendo spiritus & nimium subtilisando, sicuti fit in phthisi, hectica, morbisque & febribus lentis; Hi vero nimirum acuti, ratione malignitatis vinculum sanguinis & seri majorem in modum dissolvendo dissipant & rarefaciunt vitalem auram; Porro vero dantur huc referendi partus difficiles, ingentes labores, motus & exercitia nimia ad extremam usque defatigationem perducta: huc balnea & diuturnior in his permansio: huc venena, vel extrinsecus per morsum sive puncturam ab animalibus rabidis, & venenatis, vel intrinsecus, accepta atque assumta, virtute turbativa, nunc sulphurea, nunc mercuriali, nunc antimoniali, gaudentia, & spiritus nostros vel suffocantia, vel plus justo subtilisantia. Ne excludamus mutationem subtineam ex aere calidissimo in nimis frigidum, spiritus à circumferentia ad centrum cum impetu revocando. Huc pertinet potus frigidus post insignem corporis incalescentiam, qualia exempla à syncope correptorum ob admissum excessivum frigus, vel calorem quoque sunt ubivis obvia. Antipathia tandem quarundam rerum

ſingularis idem ptæſtat, juxta quam quidam præſentiam felium, canum, murium, &c. ferre nequeunt, ſed ſyncope, aliisque animi deliquii ſpeciebus corripiuntur. Huc pertinent animi affectus ſubitanei, & immoderati, gaudium & nuntius inſperatus, timor, terror magnus, gravis triſtitia, iracundia, aut quoque ſola fortior horrendæ cujusdam rei imaginatio aut cogitatio.

§. XII.

Deinde quoque dantur aliæ cauſæ antecedentes, quæ ad ſpirituum ſtagnationem præſertim plurimum contribuunt, ut ſunt motus ſangvinis abolitus, vel ſaltem diminutus, ex quacunque etiam cauſa remota exoriens, unde ſpiritus vitales ligantur, figuntur, & ſtagnant; Huc referenda grumeſcentia maſſæ ſanguineæ major & violentior, quam natura ſuffere poteſt. Grumeſcentia vero ſangvinis & coagulatio fit vel poſitive vel privative. Illud, quando humor vel vapor acerbus, viſcoſus, acidus, aut phlegmaticus, vehementius modo cum ſangvine, modo cum ipſo chylo ad cor defertur, partes, ſalino oleoſas & mercuriales, volatiles figens, & inordinationem ejusmodi inſtituens: Hoc vero fit, ſi partes ſpirituoſiores exhauriuntur, obruuntur, debilitantur & conſumuntur: Sic enim reliquus ſanguis ſtagnat, ſubſiſtit, coagulatur, & grumeſcentiam ſubit. Nec minus variæ aliæ cauſæ antecedentes & remotæ dantur, quæ impediunt, ſive remorantur ſpiritus, ſicuti ſunt obſtructiones variæ, propter obſtaculum corporale & ſolidum, vel in ipſo corde contentum, vel in partibus vicinis: Gra-

tiam

tiam exempli præbet abſceſſus tum in vaſis cordis, tum in arteriis & vaſis majoribus, quo rupto, vel ſaltim majori reddito & excreſcente vaſa obſtruuntur & circulus ſanguinis atque ſpirituum læditur & ſycope ſubſequitur. Simile exemplum recenſet, Magnificus Wedelius b. m. in pathol. ſua dogmatica de Sereniſſimo quodam Principe, qui ſanus lectum ingreſſus mane mortuus inventus eſt: Sectione vero Cadaveris inſtituta in corde Polypus adfuit obſtructionis hujus & mortis ſubitaneæ cauſa. In Holerio quoque obſervatum videmus abſceſſum venæ arterioſæ L. 1. Cap. 30. & Tulpius quoque L. II Obſerv. l. 16. annotat, Lipothymiam majorem ex abſceſſu in ſiniſtra cordis auricula exiſtente. Sic Sangez Medicus Hiſpanus in obſerv. ſuis refert notabilem obſervationem de Veneto quodam, qui in corde ſuo apoſtema dimidii ovi magnitudinis habuit, ex qua cauſa quoque ſubinde Syncope tactus fuit. Ratio hujus præmaturæ mortis admodum facilis eſt: abceſſus nimirum talis eſt in corde, qui ſi vel major inopinato reddatur, vel etiam rumpatur, in ipſo quaſi momento turbat motum cordis pulſatorium, unde palpitatio oritur, motus vero cordis retardatur, & graviori dato caſu ferè plane ceſſat, quando autem in vaſis majoribus cordi vicinis eſt, abhinc eo facilius eadem obſtrui poſſunt, & liberi tranſitus impediri, ſpiritusque in actionibus ſuis turbari. Ad cenſum hunc venit vomica pulmonum rumpens, vel Phthiſis pulmonaris, aut ulcus pulmonum ruptum, ſi ſit circa vaſa præcipua majora, venam nimirum, arterioſam & ſi vel maxime

me

me vomica, vel ulcus, in ipſam hanc venam ad cor tendentem abeat: Exinde enim venæ æque atque arteriæ obſtruuntur, ſpiritus & ſanguis impeditur, motusque cordis inhibetur. Si calculi in corde, viciniſque partibus hinc inde ab Autoribus obſervati adſint, eo magis obſtructionem in vaſis, motum impeditum in ſanguine, & hinc ſpirituum ſuffocationem ſubitaneam, temporalem tamen, & ad certum tempus ſolum durantem cauſare valent, ſi occaſione aliunde data hi calculi vel ſabulum e loculis ſuis dimoveantur.

§. XIII.

Ulterius & ſpecialius variæ res præternaturales huc eſſent referendæ: Variant enim ipſa ſubjecta, prout ſunt tenuioris vel firmioris conſtitutionis, variant idioſyncraſiæ & temperamenta, victus ratio, diætæ regimen, aliæque circumſtantiæ noſtrum affectum, ut ſpiritus modo abſumantur & deficiant, modo ſtagnent & impediantur. Nihil obſtat quoque, quo minus reſpiciamus ad affectus varios, quibuscum Syncope non raro eſt combinata, e. g. ad Apoplexiam, vertiginem, Paralyſin, Epilepſiam, ſimilesque affectus convulſivos, dolores varios, malum hypochondriacum, delirium hypochondriacum, Uterinam paſſionem & ſuffocationem, partum difficilem, calculum, gonorrhœam, luem veneream, aliosque affectus, qui omnes non raro variant cauſam morbificam, ſpiritusque modificant.

§. XIV.

A Cauſis jam proxumus eſt transgreſſus ad Semio-

mioticam, ubi se trudunt signa tam Diagnostica, quam Prognostica, ambobus vero non raro famulantur anamnestica, statum nimirum præteritum patefacientia. Ratione ultimorum signorum inquirendum est, an patiens sit tenerioris constitutionis, an dispositio adsit hæreditaria, an ægrotus inordinata utatur Diæta, an motus & exercitia nimia facta fuerint, animi affectus, ira, terror, gaudium excedens, & ita porro præcesserint, quippe quæ singula reliquis signis facem facile accendunt; signa vero Diagnostica, tam in nostro subjecto, quam in aliis alia spectant, vel ad imminentem syncopen vel ad præsentem: in priori in assuetis cumprimis deprehenduntur subitanea & improvisa anxietas, vertigo, muscæ, in oculis apparentes, varii non raro coloris, palpitatio cordis, pulsus inæqualis, calor tepidus circa præcordia; Germanicis sequentibus exprimitur. Es wird ihn so warm, und so weichl. und kömmt allemahl an das Hertze. In posteriori vero sive syncope præsente, signa optime ex adstantium revelatione percipiuntur, sive per se manifesta sunt, & sequenti tenore recensentur. Magnus & subitus virium lapsus, pulsus maximopere debilis, & obscurus, vel superius descriptus totius corporis, & extremarum præcipue partium frigus, pallor totius faciei, sudor frigidus, copiosus & glutinosus, in temporibus, collo & thorace proveniens. Signa tandem prognostica ut adducamus, syncope sane semper est periculosa, plus minus tamen ob circumstantiarum varietatem, quas inter primum locum tenet hæreditaria dispositio, quæ etiam obtinuit nostro in casu, dum pater simili affectu non raro la-

boraverit. In quibusdam adhuc restitutio fit, uti nostro in casu factum est., in aliis vero malum hoc evadit lethale, & quidem propter majorem debilitatem spirituum, magis magisque accrescentem, unde etiam talis paroxysmus facile rursus data etiam leviori occasione recurrit, quod si longius duret, hujus mali paroxysmus motusque cordis deficiat diutius, quam par est, exitiale est malum. Quando quoque causæ antecedentes graviores fuerunt, & ægri à spirituosis volatilibus odoriferis, irritantibus & stimulantibus, ab aqua item frigida, vel ptarmicis quoque minus resuscitantur, tunc signum est lethalis syncopes & vice versa: Huc pertinent sudor frigidus, maxime glutinosus & copiosior, hypercatharses, venæsectiones, hæmorrhagiæ, & hæmorrhoides nimiæ, lethale quid inducentes.

§. XV.

Ad curationem tandem devehor, ubi indicationes sunt ponendæ, atque ex causis eruendæ: Spiritus nimirum ante omnia sunt excitandi, reficiendi, & in motum redigendi, sanguis in vitali sua fermentatione & spirituascentia promovendus, bilis peccans temperanda, sanguinis glutinositas attenuanda, grumositas resolvenda, tonus cordis tutandus, liberandus & restaurandus, neque stomachi vis & constitutio est negligenda.

§. XVI.

In vero paroxysmo primario locum habet externa medela, ut naribus, temporibus, pulsibus & cordis ac præcordiorum regioni applicemus generosiora, volatilia, spirituosa, confortantia & penetrantia. Utpote huc referenda varia & varianda quoque remedia, pro rei exigentia, subjectorum conditione & constitutione, aliisque circumstantiis, e. gr. Spiritus cornu cervi, Eboris,

ris,Salis Amm. Sal. vol. Aromaticum quodcunque, Sal vol. cornu cervi, Spiritus viperarum, Caſtor. ejusdemque eſſentia, aqua item apoplectica, Carbunc. Hungar. Lilil. convall. Balſam. apoplect ex oleis Cinnam. citr. Rut. Lavend. ver. Caryophil. Succin. lign. Rod. variaque compoſita in officinis proſtantia. Succinum ſolum etiam accenſum naribus exceptum, aut oleum carabinum, naribus illitum, aut hujus unam vel alteram guttam cum aqua vinoſa ori infuſam commendat Rulandus. In aliis ſubjectis acetum fortius & generoſum, ſimplex vel compoſitum, Bez. fl. tunic. Rutæ & ſimilia laudantur.

§. XVII.

Si jam ante laudatis medicamentis revocati ſunt ſpiritus, iidem medicamentis internis in motu ſunt conſervandi & reliqua in ſuperioribus indicationibus indicata addenda. Unde proſunt hic cordialia, & cardiaca, quatenus maſſam ſanguineam & ſpiritus in vigore ſuo conſervant, & hunc reſtituunt, uti ſunt omnia medicamenta, in quibus particulæ ſpiritus reſtaurantes ſunt concentratæ, v. gr. Aurum ipſum, ejusdemque TR. vera, ambra & moſchus, eorundemque eſſentiæ, lapides quinque pretioſi, Rubinus, Hyacinthus, Sapphirus, Smaragdus, Chryſolitus, Antimonialia & Cinnabarina hoc loco quoque optime adhibentur, ſatis nota, nec minus margaritæ & mater perlarum, ſuccus citri, granorum kermes, eſſentia menthæ, meliſſæ, Cinnamomi, Cardamomi, & ex compoſitis ſpec. cord. temperantes, Dia Marg. frigidæ & ita porro adhiberi poſſunt. In cura vero ulterius expendenda, ad materiam morbificam eo melius removendam adhibenda

benda ſunt, vel maxime Diaphoretica, non omiſſis tamen, ſicubi opus eſt, digeſtivis temperantibus corrigentibus pariter ac evacuantibus. Huc pertinent jam laudatæ TR. Antimoniales, ſalia item volatilia urinoſ. acidis ligata, liquor cornu cervi ſuccin. Spiritus tartari, Bez. Buſs. Sal ammon. Arcan. dupl. & ita porro. In quibusdam vero ſubjectis refrigerantia & temperatiora magis quadrant, ſi a nimio calore & æſtu vel febri continua ardenti malum dependeat, uti ſunt cumprimis ſpiritus aciduli, nitri dulc. vitriol. ⊖is, ſuccus rib. Berber. acetoſ. citr. nec minus lapidea & terrea, oculi cancrorum, corallia rubra & alba, Bol. Armen. &c. Tandem vero etiam in quibusdam caſibus adhibentur calefacientia: In Syncope a terrore, metu, nimio frigore, & coagulo, potius oborta, quorſum ſpectant omnia aromata, carminativa, piper, Zingiber. N. M. Cinnam. caryophyl. radix galangæ, zedoariæ, ſem. Cardamom. aniſ. fœnic. carv. &c.

§. XVIII.

Reliqua ratione curæ ob ſpatii brevitatem ex Autoribus practicis eruenda relinquo, & non niſi hæc adhuc moneo, quod ratione diætæ illud ſit reſarciendum, quod deficit, debitisque adminiculis utendum, quæ varietas ſymptomatum, affectus principalis, aut concomitantium, variarumque circumſtantiarum ſuadet; Unde filum abrumpo, & huic diſputationi colophonem impono, reliqua ulterioribus meditationibus relicturus: DEO NOSTRO gratias agens devotisſimas pro benignisſime conceſſa gratia', viribusque per totam meam vitam, Studiumque Academicum concesſis,

CUI SIT LAUS, HONOR & GLORIA

IN SEMPITERRNA SECULA!

